

DISPUTATIO THEOLOGICA
De
**LUCTA SPIRITUS
ET CARNIS**
Quam
DIVINA FAVENTE GRATIA
PRÆSIDE
VIRO
PLUR. REVERENDO, AMPLISSIMO
ATQ; EXCELLENTISSIMO
DN. M. JOH. CONRADO
DÜRRIO,
S.S. THEOLOG. ET PHILOS. MOR. P.P.
CELEBERRIMO.

Patrono ac Preceptore suo maximè observando
Puplico placidòque φιλοθεολογίαν examini
In inclyta Altdorffina
submittit

WOLFGANGUS Benß /
Hersbruc.


diss. A
33

die 12. August.
ANNO c^{lo} I^oc LXXIII. 
Iterum edita.

ALTDORFFI

163(33) Typis Johannis Henrici Schönerstädt.





בָּעֵה :

I.

Niversi hujus creator & conser-
vator Deus Ter Optimus Ter Maximus
non satis habuit productis jam intra hex-
aëmeron rebus reliquis adjungere po-
strem nobilissimam creaturam, homi-
nem, eique velut ex omnibus jamjam conditis facultatē
aliquam eamque præstantissimam, conferre; ex angelis
intellectum, ex brutis sensum, ex plantis vitam, ex inani-
mis quibuscunque essentiam pariter & subsistentiam;
sed & huic principi creaturæ proposuit finem, qui reli-
quarum creaturarum, exceptis angelis, perfectionem ni-
mium quantum transgreditur, ut, mortuo licet corpore,
anima superstes maneat, hæc insuper illi suo tempore
conjugenda, quando ipse est fruiturus beatifica D E I vi-
sione in sempiterna secula.

II. Quamvis autem fortasse per suam potentiam ab-
solutam alium, & quidem naturalem, ei finem præfigere,
ad quem viribus suis naturalibus adspiraret, potuisset: ea
tamen est benignitas & clementia D E I in hominem, ut
quoniam naturam ejus supra cæterarum creaturarum
fortem altius evexit, finem quoque & perfectionem vo-
luerit extare longè eminentiorem.

III. Hunc autem eidem concessit sub conditione, le-
gem naturæ, quæ cordi ejus inscripta erat, & quam adde-
bat positivam perfectè implendi, eique obedientiam.

A z

omni-

omnibus numeris absolutam præstandi. Quoniam verò hoc naturæ humanæ sibi relicte factu impossibile erat; & ne quidpiam ab eadem Deus exigeret, quod nunquam fuisset solvendo, concreavit ei dotes supernaturalis, quarum beneficio omnia, quæ tūm lex naturalis, tūm positiva ab eo stricto jure requirunt, exsolvere valebat.

IV. Has dotes appellamus supernaturales, non quasi homini jam existenti demum supervenerint, concreatæ enim statim sunt cū ipso homine; sed quatenus supernaturale opponitur naturali strictè sic accepto; hoc est, id omne nobis supernaturale audit, quod nec primo nec secundo modo dicendi per se, ut Logicorum filii loquuntur, humanæ naturæ inest; licet eidem insit perfectivè, subjectivè, & transitivè. Et hæc dona supernaturalia potissimum Mosi vocantur imago & similitudo divina, ad quam sapientissimus Deus hominem conditum voluit, ceu loquitur *Gen. I. v. 26. 27. cap. V. v. 1.*

V. Quid verò stylo Mosis hæduæ voces imago & similitudo denotent, nondum inter omnes interpretes convenit. Quidam enim, moti autoritate Patrum quorundam imaginem per essentialia animæ, similitudinem verò per supernaturalia dona exposuere. Sed hanc distinctionem nullam habere fundendum, sequentibus probatum dabo rationibus.

VI. Si mago indicaret animæ essentialia sequeritur, amissa imagine divina, ablata pariter esse animæ essentialia, animâ etiamnum in homine existente, id quod rectæ rationi & experienciæ repugnat. Insuper cuilibet idem patescit, si duntaxat sedula indagine considerat, quænam decreti alicujus, & quæ hoc sequi, solet, executionis indoles sit & natura? nempè quòd executio debeat exactè respondere decreto. Jam si imago & similitudo non sint ejus-

ejusdem significationis, perit hic, quem executio habet ad decretum, respectus: in decreto enim dicitur homo creandus ad imaginem & similitudinem v. 26. cap. 1. Gen. in executione autem creatus ad imaginem v. 27. Quamobrem autem Moysi duabus hisce vocabulis unam rem denotantibus uti placuerit, dicimus factum esse per figuram Ebræis admodum familiarem quæ Hendyadis dicitur, & tūm locum habet, quando duo substantiva conjunguntur, & eorum alterum adjectivi vicem sustinet, ejusq; habet significationem cum emphasi, ceu philogorum facile princeps B. Doct. Glass. eam describit Lib. III. Philolog. Sacr. Tract. 1. can. VI. p. 23.

VII. Enucleata igitur Mosis phrasē accedamus ad rem quæ eā indigitatur. Nihil autem hīc nobis negotii erit cum Manichæis, qui seculo III. Soli obloquuti prorsus inficiati sunt imaginem Dei, inducti ea de causa iniustum errorum, quod rejecerunt totum V. T. Vide de his augustum Ecclesiæ fidus Augustinum lib. 1. de Gen. contra Manich. cap. 17. Nihil dicamus de Anthropomorphitis, qui in externa corporis structura imaginem divinam collatam esse censuerunt: de quibus consule August. de Hær. cap. VII. Nec probamus sententiam Socinianorum, qui imaginem divinam præcipue in dominio in bruta esse constitutam docent. Vid. Socin. lib. de Statu primi hominis ante lapsum adversus Francisc. Puccium Florent. p. 6. contra manifesta Scriptura dicta Eph. IV. v. 24. Col. III. v. 10. & 12. & Theologorum axioma: imaginem Dei optimè cognosci posse, si attendatur renovatio hominis cuius terminis ad quem est imago divina.

VIII. Repudiamus quoq; viri cætera haud vulgaris eruditio Flacii sententiam, qui contendit ipsa mōminis substantiam, maximè autem animam rationalem

fuisse imaginem divinam, cuius jacturam Adamus fecerit; ejus ipsius verba vide Part. II. Clav. Tract. VI. p. 370. & 375. & passim in libello Basileæ A. 1570. edito qui præ se fert titulum : Demonstrationes evidentissimæ doctrinæ de essentiâ imaginis D E I &c. Ad detegendam autem hujus sententiæ obsurditatem observetur : Si imago divina fuerit, ipsa hominis substantiva, aut non esse amissam, aut si sit amissa, hominem specie differre post lapsum, ab homine ante lapsum, quod tamen à Sacra Scriptura *en diape-
tis dissidet.*

I X. His ita sese habentibus dicimus porrò, omnium, tutissimè & πεωτως investigari imaginem, vel istam cum archetypo D E O conformitatem: in illis facultibus nobilissimis, quibus homo velut constituitur, & à cæteris creaturis dignitate se inferioribus distinguitur : quamvis nullo modo negaverim δευτέρως consecutam esse tūm potentiam non moriendi, tūm dominium in bruta.

X. Sunt autem facultates, quæ homini, quatenus homini competunt, præcipue duæ : Intellectus & Voluntas: atq; hæ ad longè nobiliorem sortem sunt evectæ beneficio imaginis divinæ, quam si homo relictus fuisset, aut unquam extitisset in meritis naturalibus : in his enim d E O ejusque attributis ea tantum cognovisset, quæ Philosophus beneficio rationis cognoscit. Sed intellectus divina imagine prædictus cognovit, quæcunq; de D E I es- sentia ejusque attributis ad conservandam præsentem, in qua vivebat, & futuram adipiscendam beatitudinem cum corporistum animæ cognitu necessaria erant. Adhæc instruētus erat rerum omnium scientia eximia, ea quæ di- vinus inspirata, ceu colligitur ex Gen. II. v. 19. 23.

XI. Legem insuper naturæ, quippe quæ cordi ejus in- scripta erat exactissimè cognitam habuit ; huic adjuncta fuit

suit cognitio legis positivæ de non comedendo fructu ventito. Voluntas quoq; quia fertur in bonū cognitum, deficere non potuit, quamdiu judicio rectæ rationis & mandato divino inhærere voluit. Nihil autem est, quod magis voluntati remoram injicit, quām appetitus sensitivus, qui alias suo iure gaudens fertur in bonum sensibile, & rationi sāpē adversatur, eiōque repugnat: ne verò homo culpam per ejus ἀταξίαν & rebellionem contraheret, subjiciebatur dictamini rectæ rationis, ad eo, ut nisi imperante ratione affectus movere nec ii diutiūs quām rationi placuisse, durare, multo minūs justo intensiores vel remissiores excitare appetitus potuerit. Et hæc est illa justitia originalis, quam inculcat Paulus, cùm dicit: *induite novum hominem, qui conditus est ἐν δικαιοσύνῃ καὶ σιώτητι τῆς ἀληθείας Eph. IV. v. 24.*

XII. Hæc dona benevolentissimus Deus Adamo largitus est non quidem ita, ut naturam ejus constituerent, aut ex constituta necessariò fluerent; sed hac fini, ut naturam partim perficerent, partim quæ cum beatitudine & corporis & animæ pugnare possent, submoverent: quæ ipsa propagasset homo ad suos posteros, si præcepto à DEO proposito obsecundasset. Verūm Diabolus, quā ardebat in DEU M ejusque creaturas invidiā, persuadebat Evæ, ut hujus præcepti limites transgrederetur; hæc dein' ad consensum induxit Adamum: unde ambo contra præceptum à DEO propositum nefariè deliquerunt, ceu patet ex prima parte *cap. III. Gen.*

XIII. Fallitur verò graviter *Calvinus Lib. III. Institut. cap. 23. §. 7.* qui lapsus hujus culpam imputat occulto aliqui decretu DEI: quod enim Deus prohibet odio prosequitur, & punit, illud non sancit decreto, sive occulto sive revelato: hoc statuas oportet, nisi DEO notam hypocrisie-

eriseos inturere velis. Nos contrā Scripturæ ductui insi-
stentes duplīcem proponimus lapsus πρωτοπλάστων causam,
aliam externam, aliam internam: externam dicimus dia-
bolum: internam verò hominis ipsius voluntatem: quæ
quam primum superbiæ typho, & cupiditate affectandæ
divinæ æ qualitatis inflata erat, ferebatur instinctu Diaboli
in comestione vetiti fructus, tanquam rem bonam, dein
facili negotio in consensum rapiebat appetitum, qui cie-
bat facultatem locomotivam, hanc sequebatur externus
actus, à quo omnia hæc, quæ jam sub censem malorum,
veniunt in homine, originem suam trahunt.

XIV. Hominem sic delinquentem justitia divina
non potuit sibi temperare, quin dignâ afficeret pœnâ. Po-
tuisset equidem Deus, pro justitiæ suæ rigore hominem
omnibus quibus benevolè eum donavit, donis, privare,
imò in nihilum prorsus redigere: verūm noluit ipsam na-
turam evertere: sed in pœnam subduxit ea, quæ naturæ
superaddidit, dona supernaturalia facultatibus hominis
superaddita: harmoniam videlicet illam suavem & ad-
mirandam facultatum superiorum cum inferioribus,
quâ homo ea, quæ Deus ab ipso exigebat, abundè præ-
stare & omnibus malis expersagere poterat.

XV. Hac itaque dissipata homo lapsus magis duci-
tur curâ rerum terrenarum: intellectum enim suo finem
supernaturalem distinctè aillequi nequit, sed tantùm ferè,
quæ ante pedes, sunt prospicit, aut certè non nisi ea, quæ
sensuum beneficio cognoscuntur, & in eandem cognitio-
nem rursus resolvuntur: appetitu pariter sensitivus sum-
mo impetu fertur ad bonum sensibus gratum, adeò, ut
haut rarò refragetur præscripto sanæ rationis, ejusque
judicium antevertat.

XVI. Tantum autem abest, ut Deus miserum ho-
minem

minem in lerna hac malorum, in quam sele sponte præcipitem dedit, æternum permanere voluerit, ut potius ejus misertus, solatio hoc erexerit; se Filium suum unigenitum in carnem missurum esse, qui perfectissimâ eâque tûm activâ tûm passivâ obedientiâ hominis prævaricationem expiaturus, eumque apud Deum in gratiam denud positus sit, modo homo fide vera illud, quod Christus ejus vice præsttit, proprium sibi faciat, & cum Paulo fiducialiter exclamat: *Christus me dilexit, & semetipsum tradidit pro me, Gal. II. v. 20.*

XVII. Hoc Christi meritum sufficiens quidem est, ad omnia & singula hominum peccata abolenda, & reatum eorundem auferendum; et si habitualis concupiscentia & depravatio ab Adamo in posteros derivata sic infixâ intimè inhæreat naturæ, ut quamdiu homo viator audit, hoc malum in sinu suo assiduè foveat, secumque circumferat. Hoc peccatum habet se in star radicis fertilis, quæ nunquam otiosa est, sed semper propullulare, caputque erigere conatur, etiam apud illos, qui sacro baptismatis fonte loti, in gratia DEI vivunt.

XIX. Hinc tot sanctorum in sacris literis de peccatis querelæ leguntur, & tot precationes de remissione eorundem. David *Psal. XIX. v. 13. delicta, inquit, quis intelligit? ab occultis meis munda me.* Salomon *Prov. XX. v. 9. quis dicere potest: purificavi animum meum, mundus sum à peccato meo?* Hinc Servator noster omnibus tam renatis, quam non renatis serio injungit, ut oreant: *dimitte nobis debita nostra,* *Matth. VI. v. 12.*

XIX. Hanc pravitatem renatis negotium facessere haut leve, fatetur ipse Paulus de se, *cap. VII. v. 18, 19. seqq.* *ad Rom.* ubi ait: *novi non habitare in me [in carne mea] bonum: nam velle adest mihi, sed, ut quod bonum efficiam, non*

assequor: Nam non facio, quod volo; sed malum, quod nolo, ago. Comperio mihi volenti facere bonum, hanc legem esse impostam, quod mihi malum adjaceat. Delector enim lege Dei, quoad interiorem hominem; sed video aliam legem in membris meis, belligerantem adversus legem mentis mea, & captivum me reddentem legi peccati, quae est in membris meis. Miser ego homo: quis me eripiet ex corpore istius mortis? Et in epistola ad Gal. V. v. 16. 17. similibus verbis eandem rem indicat, admonens suos Galatas, ut spiritu incedant, & quod carnis est, non perficiant. Caro enim, inquit, concupiscit aduersus spiritum. & spiritus aduersus carnem raustra sunt adversarii, ut non, quæ volueritis, eadem faciatis. Petrus quoq; hoc probe intelligens, aurem renatis vellicat, ut abstineant à concupiscentiis carnis aduersus animam militantibus, i. Pet. II. v. 11.

XX. Quamvis autem tūm in renatis, tūm in non renatis peccatum reperiatur, non tamen parem utrobiꝝ vim exerit: irregeniti obedientiam ei præstant, & dominium permittunt: regeniti verò Spiritus Sancti ductum secuti, ei resistunt; & licet prorsus illud extirpare nequeant; attamen deprimunt illud, nec ei effusis veluti habenis obtemperant. Et hanc luctam sentiunt, quām diu vita ipsis suspetit.

XXI. Hanc pugnam, cuius cognoscendæ gratia disserere hucusque visum fuit, ut porrò accuratiore mentis indagine perlustremus, observandæ nobis veniunt partes, in pugna hac adverso marte pugnantes, quarum altera dicitur Caro, Spiritus altera. Quid verò carnis nomine in Scriptura sacra veniat, paucis evolvemus. Adhibetur autem vocabulum carnis à Scriptoribus de omnibus in utroque Instrumento diversimodè. Primariò accipiatur pro illa parte corporis, quæ mollis rubicundaq; est, & fibras

fibras muscularum complectitur : hæc significatio obtinet in dictis, *Gen. II. v. 21.* *Gen. IX. v. 4.* Dein designat corporis structuram, quatenus animæ opponitur : ut *Levit. XXII. v. 6.*

XXII. Adhæc legitur in ea significatione, quâ totum compositum, ex corpore & anima constans, denotat: ceu evolventi loca, *Matth. XXIV. v. 22.* *Rom. III. v. 20.* & alias, patebit. Insuper Paulus in epistola *ad. Rom. IX. v. 5.* aliam huic vocabulo tribuit significationem, videlicet eam, quâ denotat humanam Christi naturam. Quandoque vocabulum caro jungitur vocabulo sanguinis, & tunc designat ipsum hominem, ut *Gal. I. v. 16.* Denique opponit caro in sacro codice spiritui, ac tûm denotat naturam peccati originalis vitio corruptam, laborantemque reluctantiâ pravorum affectuum, contra rectæ rationis dictamen, & Spiritus sancti suggestionis, quibus ipsa, oppressis carnalibus cupiditatibus, sæpè indulget.

XXIII. Quando autem Paulus de se & de renatis enunciat, eos habere carnem, designatur voce carnis ea affectuum & voluntatis rebellio & contumacia, contra rectam rationem, & Spiritum Sanctum ad optima quæq; ducentem, non quæ Spiritum sibi subjicit, verùm quam potius Spiritus subjugat : adeò, ut licet renati carnis stimulos subinde sentiant, non tamen iis vietas dent manus, sed Spiritus sancti inhabitantis gratiâ adjuti, illis jugum imponant, ne dominium exerceant in corpore mortali : ut Paulus differit, *Rom. VI. v. 12.*

XXIV. Considerato igitur hujus pugnæ uno adversario, progredimur ad alterum, qui Apostolo Spiritus dicitur. Accipitur autem & hoc vocabulum in sacris literis multis modis : vel enim sumitur ἄστρως pro tribus unus essentiæ divinæ personis, ut *Ioh. IV. v. 24.* vel ὑποστινῶς,

proteria S.S.Trinitatis persona, Spiritu videlicet sancto: ut Matth.XXVIII.v.19. Joh.XIV.v.17. 26. Prædicatur etiam hæc vos de creaturis , & denotat vel Spiritum bonum, Ebr.1.v.14.vel malum, Matth.VIII.v.16. Quandoq; idem est, ac anima hominis, Psalm. XXXI. v. 6. anima bruti Eccles. III. v.21. Denique sumitur vocabulum Spiritus per metonymiam, pro operatione Spiritus sancti in renatis: hæc vocis acceptio obtinet Ezech.XVIII.v.31. Eph.IV.v.23. Hinc dicitur homo spiritualis, quid depressis cupiditatibus carnis, Spiritus Sancti motibus se regendum præbet, operaque Deo placentia præstat. Qui plura vocis Spiritus significata desiderat, adeat incomparabilem illum Theologum. B.D.Chemnit. Part. I. Locc. Loco de Sp. S. p. 92. 93. ut & B.D. Glaff. in Rhetor. Sacr. cap. I. p. 2.3. & seqq.

XXV. Ex his significationibus instituto nostro inservit illa, quæ ultimum occupat locum, ubi Spiritus designat ἐνέργεια Spiritus Sancti, quod ipse producit in homine renato, quando ei vires concedit novas, quarum beneficio peccati insultus reprimere, eidemque frænum injicere potest. Licet enim eò perfectionis pervenire non detur, ut peccatum è corpore omnino exulet; Spiritus tamen ille auxilium præstat, ne peccatum regnet in corposse. Hæc significatio adæquatè opponitur significationi carnis, ut quidem hoc loco potissimum à nobis consideratur.

XXVI. Hi duo hostes, assiduum bellum inter se gerentes, in Scriptura aliis etiam nominibus indigitantur, ut potè cum dicuntur ; *vetus & novus homo*; Eph. IV. v. 22. 23. *externus & internus homo* II. Cor. IV. vers. 16. *Animalis & Spiritualis homo* I. Cor. II. vers. 14. 15. *lex membrorum & lex mentis* Rom. VII. v. 23. quibus tamen omnibus tūm affectuum & voluntatis contra dictamen Spiritus Sancti rebel-

rebellio; tūm vires novæ à Spiritu Sancto homini renato concessæ, quibus carnis reluctantiam deprimere valet, indicatur.

XXVII. Hactenus vivis quasi coloribus depinximus hostes hujus pugnæ, omnibus viribus se invicem invadentes: supereft, ut determinemus arenam ubi congregantur. Nemini autem, nisi qui hospes planè in scriptis Aristotelicis est, incognitum esse potest, quod etiam ipse observaverit pugnam quandam in homine, quando alteram animæ facultatem dixit λόγον ἔχεσσαν, alteram verò αἱλογόν, quarum hæc, priorem illam & nobiliorem sæpè in transversum & ad pravitatem abripit, ut constat ex cap. XIII. lib. 1. Eth. & VII. etiam passim. Huic sententiæ adstipulantur quoque doctores Scholastici, qui pugnam hanc, quâ de paulo sermo est, pugnari contendunt à sensualitate, cum ratione hominis irregeniti.

XXVIII. Subiectum hujus pugnæ est vel Quod, vel Quo: illud est homo lue quidem, quam primi parentes contraxeré, infectus, cui tamen Spiritus Sanctus, post accessam in regeneratione fidem, & impletatam in justificatione remissionem peccatorum, vires in renovatione concessit novas, quibus carnis dominium suppressore, studiumque sanctè vivendi inchoare, inchoatum continuare possit. Subiectum autem Quo, est anima hominis primariò & præcipuè; id quod expressis nos docet verbis Apostolus Paulus Eph. IV. v. 23. cum ait: *Renovamini spiritu mentis vestrae*: ut tamen facultas sensitiva & membra externa, quæ laudabilem actionum instrumenta sunt, non planè excludantur.

XXIX. Hoc assertum prolixè demonstrat & confirmat Apostolus Paulus, quando in cap. VII. epistolæ ad Romanos de se Renato loquitur, & confitetur, se, quamvis

delectetur lege Dei quoad interiorē hominem, nihilo tamen se-
cūs videre aliam legem in membris suis, pelligerantem cum le-
gementis sua, captivumq; se reddentem legi peccati, quæ sit in
membris suis. v. 22. 23. & seqq. Adde Gal. V. v. 22. 23. & alia in
quibus renati admonentur, ne peccatis voluntariis Spi-
ritum Sanctum executiant, nevè ejus operationi resi-
stant, & ita indignos semetipos reddant, qui sunt tem-
pla Spiritus sancti.

X X X. Indicato sic hujus pugnæ campo, rectè accedi-
mus ad ipsam pugnam, consideraturi, quo pacto ea in re-
natis instituatur? Initio autem tenendum est, carnis eam
esse naturam post lapsum, ut non possit non peccare, sive
concupiscentias suas prodere: lex autem Dei ab homine
perfectionem requirit absolutam, &, ut vocant, gradu-
um, faciendi omnia, quæ scripta sunt in libro legis *Deut.*
X X V I I. v. 26. Quoniam verò pares huic rigori vires in
nobis non amplius deprehendimus, Deus ἐπικεκριμένος E-
vangelicā nobis velut condescendit, & in gratia sua nos
retinet, modò carnis concupiscentiis non indulgeamus:
simul etiam viribus novis hominem induit, quibus bona
opera edere, & ita vitam instituere potest, ut gratia Dei
non excidat.

X X I. Quod autem homo tantam perfectionem,
quantam Deus secundum legis rigorem requirit, conse-
qui non possit, ejus rei causa est caro, hoc est, pravi illi af-
fectus, inordinataque concupiscentia, quæ, homine sæ-
pè non animadvertente, oboriuntur, & detrahunt haud
parum de perfectione debita. His concupiscentiis Spi-
ritus, quem Deus hominibus renatis largitur, medetur,
sedulò quasi invigilando, ne citra advertentiam insur-
gentes concupiscentiæ eos in deliberatum obsequium
pertrahant, ne quod caro concupiscit, perficiant

X X I I.

XXXII. Dum verò indicavimus, carnis eam esse naturam & indolem, ut non possit non peccare; non id volumus: carni impositam esse hanc necessitatem, ut hoc vel illud peccatum determinatè acceptum, peragere debat. Sed ita sentimus: carnis hanc esse naturam, ut nunquam longo temporis spatio ab omnibus in universum peccatis abstineat: licet enim hoc vel illud peccatum non committat, tamen aliquod committit peccatum. Et potest necessitas hæc explicari, ut cum Logicis loquat, per descensum disjunctum.

XXXIII. Evidem nullum est dubium, si Deus voluisse, potuisset utique hominietiam lapsi tantam conferre gratiam, ut spiritui perfectè subjiceretur, nec unquam contra dictamen Spiritus insurgeret prava cupiditas: at tamen quoniam homo persuasionibus diaboli vacivas aures præbuit, nec divinæ gratiæ subtractione, nec divino quodam decreto eoque absoluto impulsus, sed mera voluntatis malitia, idcirco Deus ei hanc gratiam non fecit, ut sine ulla tentatione vitam transigeret quietam, sed reliquit eidem, quamvis renato, hanc *ἀπαξίαν*, quæ ipse sic instar cotis, patientiam ejus, & in repugnando constantiam, acuientis.

XXXIV. Hæc lucta jam occasionem præbet homini, ut indesinenter ardentibus Deum fatiget precibus, ne auferat à se Spiritum sanctum, quo carnis impetus reprimere, ejusque ausibus resistere valeat. Hæc lucta suadet quotidianam pœnitentiam, quam renatos instituere, necesse est, juxta illud *Psal. XXX. v. 6. pro remissione peccatorum orabunt ad te omnes sancti*. Omnes enim & singuli confiteantur necesse habent, non esse, qui faciat bonum, ne unum quidem *Pf. XIV. v. 3.* Lucta denique hæc deprimit omnem superbiam, prosternit fastum, & excitat Deo placentem humi-

humilitatem : quod si enim piè perpendimus illud : si omnia fecerimus, quæcumq; nobis facienda fuére, nos tamen esse seruos inutiles Luc. XVII. v. 10. non possumus non in nosmetiplos descendere, miseramq; sortem nostram deplorare, quòd, licet simus renati, non tamen audeamus intrare cum Deo in judicium, qui in ejus conspectu nemo viventium justificabitur Psalm. CXLIII. v. 2.

XXXV. Atæxiæ autem hanc, & carnis adversus spiritum repugnantiam, Doctores Scholastici apud Pontificios nimium quantum enervant & extenuant ; quando eam pro peccato iram D E I & æternam damnationem promerente, non habent. Distinguunt enim inter motus primò primos & secundò primos: illos [prout Excellentissimus Dominus Præses, Præceptor & Patronus meus ætatè colendus in Theologia Morali disp. III. Thes. 8. p. 61. perspicuè explicat] vocant, qui ad præsentiam rei alicujus subitò objectæ, aut ex alteratione corporis, aut ex imaginatione repentina excitati inordinate & non conformiter legi divinae insurgunt, ante rationis advertentiam & voluntatis consensum: his peccati rationem denegant. Secundo autem primi motus dicuntur illi, qui plenam quidem proæresin, deliberationemq; voluntatis antevertunt, aliquo tamen modo in voluntatis potestate sunt, & quidem ita, ut, si debitam fidelis adhibeat diligentiam, eos reprimere & prævertere possit.

XXXVI. Hos secutus Cardinalis Bellarminus, qui Tom. IV. Lib. V. de amis. grat. cap. 7. 8. 9. & seqq. totus in eo est, ut motus hosce primò primos, sive, ut ille appellat, concupiscentiā in renatis residuam, eximat è numero peccatorum propriè dictorum Patres etiam Concil. Trident. anathematis fulmine percutiunt illos, qui concupiscentiam verè & proprie in renatis peccatum esse arbitrantur, sicut habent verba Seß. V. Synod. Trident. Hunc ipsum errorem obser-

observavit, & meritò reprehendit Philippus Melanchth. *Loc de veteri ac novo homine, juxta Dodecad. libr. Normal. Eccles. Noriberg. p. 771.* quando scribit, *quod affectuum, qui citra voluntatis consensum suboriuntur, rationem [Scolastici & Pontificii] non habuerint, & non nisi externis factis propriè peccari crediderint.*

XXXVII. Nituntur insuper autoritate Augustini, qui interdum negare videtur, concupiscentiam in renatis reliquam esse peccatum: quales locutiones occurrunt, *Lib. I. de nupt. & concup. cap. 23. & seqq.* Item, contra duas epistolas Pelagii *Lib. I. cap. 13.* Atque istam quidem sententiam eò pertinaciùs defendunt Pontificii, ut fulcrum superponant sententiæ suæ, quâ asseverant: hominem renatum in hac vita perfectâ obedientia posse legi DEI satisfacere: item, bona opera renatorum posse promereri vitam æternam. Ec quandoquidem animadvertisunt, renatos nihilominus multis imbecilitatibus in hac vita esse obnoxios, quæ exactissimæ legi DEI minus congruunt, hinc statuunt, concupiscentiam in renatis reliquam non esse peccatum, sed tantùm deformitatem non contra, sed præter legem DEI.

XXXIX. Huius sententiæ ut obviām procedamus, dicimus primò, eam niti falsâ hypothesi, quæ est; quod nihil habeat rationem peccati, nisi quod sit voluntarium. Contrà Scriptura sacra non tantùm hoc, ad quod plenarius voluntatis consensus accedit, agnoscit pro peccato; sed & illud, quod sœpè homine non animadvertisse, ratione & voluntate non consentiente, oritur. Stat enim tali inconcuso sententia Apostoli, *I. Joh. III. v. 4.* *in dñi apstla èsiv dñi opia, sive id dispositio sit, sive habitus, sive motus internus, sive actus externus, sive voluntatis consensum anteverat, sive consequatur.*

XXXIX. Considerentur etiam verba, *Gen. VI. vers. 5.* *omne figmentum cogitationis cordis humani tantummodo malum est omni tempore.* Hisce verbis singulis non tam ponera, quam fulmina intesse, testatur. *B. Chemnitius Part. I. Exam. p. 168.* vocabulum enim θυμός non denotat, ceu editio vulgata transtulit, sensum, sed potius illud, quod sensum præcedit: videlicet figmentum illud cogitationū, ex quo sensus sive concupiscentia nascitur, primos nimirūm motus, qui sæpenumerò non deliberatò oboriuntur. Haud paulò evidenter rem proponit Paulus; *ego, inquit, non quod volo ago, sed quod odi, perpetuo.* *Rom VII. v. 14. 15.* Et in epistola ad Gal. V. v. 17. ait, *quod renati, quod volunt, non faciant.*

X L. Quid? quod concupiscentiam in renatis reliquam, licet adductioribus coercente frenis, tamen in epistola ad Rom. cap. VI. ad minimum quinques, cap. VII. sexies, cap. II X. ter vocat peccatum. Ne autem adversarii ἡρησούγετον quærant in ambiguitate vocis peccati, quasi Paulus vocet concupiscentiam peccatum per metonymiam causæ pro effectu, subjiciamus: à primaria vocis significatione non esse præter necessitatem recedendum. Dein concupiscentiæ tribuitur definitio peccati propriè dicti, quippe quæ tanquam pugnans cum lege Dei prohibetur, *Rom. VII. vers. 7. 23.* Quid ergò dubitandum amplius est, rationem peccati formulam eidem esse tribuendam?

X LI. Concludimus itaque: Q. ex sententia legis seu motum, seu actionem, seu quocunque alio nomine venire queat, pronuntiat esse peccatum, is intelligit peccatum propriè dictum. Atqui Paulus ex sententia legis concupiscentiam pronuntiat esse peccatum, *Rom. VII. v. 7.* Ergò intel-

intelligit peccatum propriè dictum. Majoris fundamen-
tiloco substernimus dictum, *Rom. III. v. 20.* Et verò ne-
mominor, ipso Paulo, verborum istorum interpres esse
potest: quando peccatum illud vocat malum, *quod ipse
oderit; quod inimicitia sit adversus Deum; quod repugnet legi
mentis*, non quidem simpliciter talis, sed Spiritus sancti
gratiâ illuminatæ: & quæ sunt aliæ appellations, quibus
hoc peccatum depingit.

XLII. Quod attinet Augustinum, respondemus: nos negare non posse. Doctori illi eximio nonnunquam abrepto fervore disputandi, tales excidisse locutiones, quæ in sequiorem partem possint trahi. Occasio namque erat. Formabat Pelagius tale argumentum: si concupiscentia in renatis reliqua, est peccatum, sequitur per baptismum non verè, plenè, & perfectè obtineri remissionem peccatorum, nec auferri crimina, sed tantum radi ut radices peccatorum in mala carne teneantur, instar rasorum in capite pilorum. Sed ita sentire, est insignis contumelia in baptismum & blasphemia in mortem agni DEI: prout objectiones ejus describit August. contra duas epistolas Pelagii *Lib. I. cap. 13.*

XLIII. Ex hoc laqueo ut sese extricaret Augustinus, dicebat: concupiscentiam in renatis reliquam, non esse peccatum. Cum autem Pelagius argumentando instaret: si concupiscentia non est peccatum; ergo tantum abest, ut sit vituperanda, ut potius laudanda. Explicabat Augustinus mentem suam: *baptizatus, inquiens, omni caret peccato, non omni malo*: quod pleniùs ita dicitur: omni reatu malorum caret, non omnibus malis.

XLIV. Ex mente igitur Augustini considerari peccatum potest dupliciter: Velenim est *avopia* sublato reatu:

C 2

hoc

hoc sensu non negat Augustinus concupiscentiam in renatis reliquam esse peccatum, licet eos non reos faciat iræ Dei & damnationis æternæ, propter Christum fide apprehensum. Vele est *avocia* cum reatu conjuncta: & sic Augustinus concupiscentiam in renatis reliquam peccatum esse pernegat. Renati enim ope Spiritus sancti adjuti non permittunt, ut concupiscentia concipiatur, & pariat peccatum, ceu Jacobus loquitur cap. I. vers. 15. Atque hinc fruuntur privilegio divinâ autoritate sancito ab Apostolo Rom. II. vers. 1. Nulla est condemnatio in iis, qui sunt in Christo Jesu, qui non secundum carnem ambulant, sed secundum spiritum.

X L V. Licet igitur concupiscentia non sit in numero eorum peccatorum, quæ regnantia dicimus, in renatis est tamen propriè dictum peccatum. Fixum enim est axioma illud, & contra omnes inferorum portas invictum, sicut hoc appellat nunquam sine laude dicendus Chemn. Part. I. Exam. p. 187. Quicquid in natura rationali discedet à norma legis, & cum ea pugnat, sive sit defectus, sive *ataxiæ*, sive *inclinatio*, sive *actio*, sive *omissio*, est peccatum.

X L V I. Hanc luctam Carnis & Spiritus peccato resistentis, renatis inesse firmâ fide credimus, nec patimur ab hac sententia nos dimoveri, quicquid in contrarium dicant Remonstrantes in Belgio. Hi namque, qui hanc in parte easdem cum hodiernis Photinianis inflant tibias, in omnia alia abeunt, quam ut concedant, Paulum in cap. VII. ad Rom. agere de se, ut renato. Verba de hac re in Apolog. Remonstrant. p. 129. sunt ista: *locus ad Rom. multò minus huc facit, quia in eo Apostolus de regenitis per Spiritum Christi non agit.* Allegant insuper à partibus suis Armantium in Exam. hujus cap. ad Rom. Socinum in not. ad h. l. pag.

130. qui

130. qui quidem ut in aliis, ita in hujus loci explicatione prælusisse ipsiis videtur.

XLVII. Contra istam explicationem nos proferimus fundamenta sequentia. Primo textus evidenter sole meridiano clarius demonstrat, Paulum in hoc capite septimo de semetipso sermonem instituere, id quod inter alia probat toties repetitum pronomen *eo*. Si quæras, quo tempore hoc de se intelligi voluerit? respondeamus, non certè illo tempore, quo sedebat ad pedes Gamalielis; sed postquam extra ordinario modo ad Christum conversus, renatis factus est. De se igitur, ut renato, hoc loco agit, id quod verba temporis præsentis indicant. Quid enim causæ dari potest, quarerelicta textus *ouvertū* ad aliam personam, aut qualitatem personæ verba ista transferamus, quam de quâ primò sermonem Apostolus instituerat?

XLVIII. Secundò conveniunt illi, de quo Paulus loquitur, proprietates renatorum: sunt autem istæ: *velle bonum*, non quidem quodvis, sed spirituale: *delectari lege Dei*: *malum non velle, sed odissē*: *in servire legi Dei*, & similes. Has omnes tribuit Paulus ei, de quo capite septimo agit. Porro in quocunque invenitur lucta spiritus & Carnis, sive, ut verbis hujus capituli utar, legis mentis & legis membrorum, is est renatus. Atqui in eo, de quo *cap. VII.* agit, invenitur hæc lucta. E. Nec est, quod quis cum Socino hoc argumentum invertat; non enim hæc convenirent verbis *Gal. V. v. 16. 17.* de quibus tamen ipse Smalzius contra Franzium fatetur *p. 488.* ea agere de renatis.

XLIX. Confirmatur eadem sententia inde, quod Paulus agnoscit miseriā suā, atque liberationem ardentissimis expicit votis. Atqui gravitatem peccato-

rum agnoscere, non est nisi renatorum & pœnitentium; vota autem seria concipere pro liberatione, non nisi fidelium. Posset etiam addi argumentum petitum à gratiarum actione, quam progenuit fiducia in Christum, quæ à non renato nequaquam proficisci potest. Neque locum habet parenthesis Socini ficta, quâ gratiarum actionem hanc inclusam vult; obstat enim textus *avvenientia*.

L. Denique nec deest nobis suffragium venerandæ antiquitatis: militant enim pro nobis Hilarius, Nazianzenus, Ambrosius, Methodius martyr apud Epiph. Hær. 64. Georgius M. Lib. XVI. moralium cap. V. Primasius in b. l. Licet autem Hieronymus & Augustinus in alia primò essent sententia, fulgore tamen veritatis perstriicti, sententiam mutarunt; ille Dial. Lib. III. cap. I. contra Pelag. hic Lib. III. Retract. cap. XXIII. & XXVI. ut & Lib. II. cap. I. & Lib. I. contra Julianum cap. ult. Lib. I. Contraduas epistolas Pelag. cap. 8. 10. & II. monstrat, quomodo omnia, quæ Apostolus dicit, renato convenient. Überiorem hujus capit is eamq; orthodoxam defensionem qui desiderat, adeat Doct. Calov. in Socinian. profligato Art. II X. de bonis operibus, controversia IV. p. 795. & seqq.

LI. Ex falsa capit is VII. ad Rom. expositione, tanquam ex fonte corrupto, mirū non est fluere impurum rivulū adeò ut iidem Remonstrantes renatis luctam hanc carnis & Spiritus tandem prorsus denegent: faciunt enim discrimen inter renatos, & alios vocant *incipientes*, *perficientes* alios, alios denique *adultos sive perfectos*: consule eorund. *Apolog.* p. 126. His ultimis tantam tribuunt perfectionem, ut carnis concupiscentias neutiquam sentiant; exponunt namque vocabulum carnis, ut patet ex *Apolog.* p. 128. per carnem

carnem dominantem & regnante in non renatis. Quæ quidem tela ex Socianorum pharetra depromta esse, non difficulter conjicit, qui expendet ipsius Socini verba, quæ locum *Rom. VII.* commentus est: *Ego nihil dubito, quin in aliquibus ex Christi fidelibus in hac vita, pugna illa inter carnem & Spiritum cesseret, jam planè spiritu dominante, & carne cum ipso manus conserere non amplius audentem.*

LII. Φλυαγίας autem hasce ut diluamus, aggredimur ipsam expositionem vocabuli carnis, & dicimus: nos quidem penitus negare non velle, vocabulum carnis interdum denotare concupiscentias carnis regnantes; sed hoc maximè hīc quæritur, num hīc loci ad *Gal. V.* hæc obtineat significatio? Illis affirmantibus, nos negamus meritò, eò quòd Paulus hæc duo unitribuit subiecto, uno tempore considerato.

LIII. Loquitur enim de suis Galatis, eosque admonet, ut spiritu incedant, & quod concupiscit caro, ne perficiant: Atqui illos fuisse renatos ecquis dubitet? Præterquam enim quod ipsum Smalzium hoc suprà nobiscum confessum esse indicavimus, ipsum *cap. V. ad Gal.* initium hoc ad oculum demonstrat, ubi Paulus *v. I.* ait: *in libertate, quam nos Christus liberavit per statuimus.* his igitur in libertate constitutis, id est, renatis, hoc in mandatis dat, ne concupiscentias carnis sequantur; frustraneum verò fuisset hoc mandatum, nisi ipso actu extitisset in Galatis caro: non autem fuit caro vel peccatum regnans; hæc enim cum Spiritu uni eidemque Subiecto, uno eodemque tempore colescerenequit.

LIV. Porrò dum & nos statuimus de Scriptura, dari luctam carnis & Spiritus; & carnem sive carnis concupi-

cupiscentiam etiam non consentiente voluntate esse peccatum propriè dictum, absurditatis nos arguunt adversarii, dicentes: consistere hæc duo non posse, esse renatum & sentire carnem spiritui rebellantem, item: habere peccatum propriè dictum. Hoc tēlum ut retundamus, dicimus, statum integratatis ista duo ferre non potuisse: nunc verò amissis viribus ad felicissimum istum statum, necessariis, hominem in alia omnia esse distractum velut & divisum.

L V. Quia enim tūm renatus, tūm non renatus, hoc est, omnes in Adamo peccarunt, hinc ex mala ista radice non possunt non subinde pravorum motuum infelicia, Iolia propullulare, adeò, ut tūm in renato, tum in non renato habitet nil boni. Igitur, ut cum Scriptura loquamur, habent renati peccatum, non tamen faciunt peccatum: non renati contrà & habent & faciunt peccatum.

L VI. Quantumvis autem renati in hac vita peccatis³ sint obnoxii, cumque illis nunquam non conflentur; attamen justificati ex fide pacem habent ad Deum per Dominum nostrum Jesum Christum: per quem & habent accessum per fidem in gratiam istam; in qua stant, & gloriantur in spe gloriae filiorum Dei. Rom. V. v. i.

L VII. Et licet phrasī Scripturæ quidam dicantur justi & perfecti, non tamen sequitur eos fuisse ἀναποτίτες, aut nunquam sensisse rebellionem carnis & Spiritus. Nemo enim hominum unquam extitit post lapsum, excepto Christo, qui, licet pro viribus divinitus concessis, in hac imbecillitate sanctitati studuerit, non aliquid humani senserit. Imò cuius Scriptura perfectionem decantat, ejus ipsius quoque imperfectiones & imbecillitates detegit.

L VIII.

LVIII. Eleganter hac de re loquitur Augustinus de
Nat. & Grat. cap. 36. Si omnes illos sanctos & sanctas, cum hic
viverent, congregare possemus, & interrogare, utrum essent sine
peccato? quid fuisse responsuros putamus? utrum hoc, quod iste di-
cit, an quod Johannes Apostolus? Rogo vos, quantalibet fuerit in
hoc corpore excellentia sanctitatis, si hoc interrogari potuissent,
unâ voce clamassent: Si dixerimus, quia peccatum non habe-
mus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est.

LIX. Hanc doctrinam explicaturus de Ecclesia Dei
optimè meritus B. Doct. Gerhard. Lib. II. Conf. Cathol. Part. III.
Art. XXIII. cap. 7. p. 809. distinguit inter perfectionem abso-
lutam, sive gradum, & respectivam vel conditionatam,
sive partium: illam vocat, quæ summum obedientiæ gradum
in lege requisitum, assequitur, ad quam renati in hac vita perve-
nire nequeunt. Hæc autem est, sincera renatorum secundum
totam legem obedientia, in hac vita inchoata, in futura demum
consummanda: & hæc renatis competit.

LX. Nec insuper habendum, quod aliâs Theologi
nostrates observarunt, in sacris literis hominem diei ju-
stum quincupliciter: I. imputativè, propter imputatam
Christi justitiam Philip. III. v. 9. II. inchoativè ob inchoa-
tam in hac vita justitiam, vel sanctimoniam vitæ, quæ ex
majore virtutum parte commendantur. III. ob justitiam
externam, de qua Paulus Philip. III. v. 6. quæ verò hæc sit,
indicat nobis Augustinus Lib. I. contra duas epistol. Pelag.
cap. IX. potuit esse, inquit, intus in affectionibus prævaricator
legis, & tamen conspicua opera legis implere, vel timore homi-
num, vel ipsius Dei, sed pœnae formidine, non dilectione & dele-
ctatione justitiae. IV. propter justitiam non fictam, hypo-
criticæ & simulatæ oppositam, h. e. quando homo ad ju-
stitiam, quæ huic vitæ concessa est, omnibus viribus ad-
spirat, adeò, ut malit internè esse justus, quam externè
tantum talis videri; hac de justitia loquitur David Psalm.

CXIX. v. 10. *V.* denique in comparatione aliorum : qualis significatio obtinet, *Gen. VI. v. 9.*

LXI. Lucem hæc & superius dicta accipient, si consideraverimus, quod, duce Scripturâ sacrâ, eruditis observatum est, Deum cum hominibus duplex iniisse pactum, alterum legale, evangelicum alterum. Legale pactum, est, quod Deus promulgavit in ipsa statim creatione, ubi leges suas hominum mentibus inscrispit, viresque largitus est illas servandi; quas, si implevissent, vitam æternam citra interventum alterius Servatoris consecuti fuissent. Cùm verò homo vires hasce servandi leges DEI, suâ culpâ amisisset, ita, ut nec unquam per istud pactum vitam, æternam consequi potuisset ; permotus est commiseratione erga genus humanum misericordiarum pater, ut de alio pacto nobiscum ineundo cogitaret, cuius fundamentum non tantum est justitia, sed & summa clementia.

LXII. Intercedente igitur ipso Filio DEI, Deus pactum cum hominibus iniit sub dupli conditione; una spectata ex parte Mediatoris, ut viribus hominis lapsi deficien- tibus, & ad præstandam exactam legi DEI obedientiam, imparibus, ipse Mediator suâ activâ & passivâ obedientiâ justitiæ DEI satisfaceret: altera ex parte hominum, quæ est fides, non tantum in notitia & assensu, sed maximè in fiducia vel assensu fiduciali consistens.

LXIII. Hoc pactum indicabatur statim, cùm semen mulieris consternatis Protoplastis promitteretur, post Abrahamo & aliis Patriarchis renovabatur, cùm in semine eorum omnes gentes iri benedictū significaretur. Nec prophetæ pactum hoc silentio præteriere, sed auditoribus suis subinde, partim per figuram, partim aperte & remotis velis inculcarunt. Omnibus denique obscurati- bus

bus remotis, revelatum est ab ipso Servatore persolutâ satisfactione, quâ totum illud pactum nitebatur.

LXIV. Differunt igitur hæc duo pacta, quod in legali spectetur homo alienus à peccato tūm originali, tūm actuali: in evangelico autem homo non quidem liber à peccato originali, nec venialibus, quæ Tertullianus *quotidianæ incursionis peccata* appellat; sed tantūm à peccatis, quæ deliberato animo, dataque opera peraguntur, vel, verbo οὐ πένεται Apostolico, à peccatis regnantibus: reliqua verò quæ ab homine evitari nequeunt, ob carnis infirmitatem, ei non imputantur ob conditionem, quam Deus ab homine in hoc pacto exigit, videlicet fidem in Christum.

LXV. Thesibus hisce ultimam impositurus manum, concludo verbis Augustini Lib. 1. de Trinit. cap. II. & III.
Non pigebit me, sicubi hæreo, querere, nec pudebit, sicubi erro, discere. Proinde quisquis hæc legit, ubi pariter certus est, pergit tecum: ubi pariter hæsit at, querat tecum; ubi errorem suum cognoscit, redeat ad me: ubi meum, revoget me. Ita ingrediamur simul veritatis viam, tendentes ad eum, de quo dictum est, faciem ejus semper querite.




Hoc

Hoc ergo agamus! lucta nobis imminet.
 Quid? imminet? præstò & parata est indies,
 Patientiam assidueq; nostram postulat.
 Fidem Tibi interpono & hanc manum meam,
 Dilecte BENZI, edocitus exemplo meo:
 Quò ardentiùs jungéris officio tuo,
 Quò proximo magis anxiè serviveris.
 Eò magis te provocabit & caro
 Ille hostis intestinus, & mundi invidi, &
 Sycophanticarum omnisq; stygis exercitus,
 Famâq; corruptâ exedet corclum Tibi.
 Si vero carnem spiritus superaverit,
 [Superanda sané est, totus Orcus euomat
 Sulphurq; & ignem] adest choragus cælicus,
 Qui fronte sudorem eluit, qui lacrymas
 Abstergit oculis, qui brabéa porrigit.
Hoc ergo agamus! dum brabéa hac imminent.

Præstantiss. Dn. Respondentem suum ad
 luctam Christianam & Theologicam
 studiora òspuræ

J. C. D.



Quid Tibi cum pugna, nescis, Doctissime BENZI,
 Quòd nostrum fugiant arma cruenta solum?
 Pugna sed hac, de quâ jam doctò disserisore,
 Conatus prodit, prodit & ingenium.
 Dum certamen atrox, quod habet cum carne re-
 Spiritus, è doctis hisce doces thesibus. (belli
 Ergo Tuis ausis meritò congratulor, atq;
 Ex animo precor, ut digna brabeja feras.

*Exquis hisce gratulabundus Dilectissimo
 suo Dn. Benzio assurgere voluit.*

M. Andreas Zeltner, Ecclesiæ
 Altenth. Minister.

Coll. Dies. A 163, Blatt 33